



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopo Gevricensi & Abbati de Boccan.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

rum suarum subsidia impedere vel transmittere attentaverint, quandiu inter nos & ipsos guerra durarit. Verum accedentes nuper ad apostolicam sedem dilecti filij nobiles viri Andreas Donatus & Benedictus Grilion nuntij vestri nobis exponere curaverunt quod ex constitutione hujusmodi civitati vestrae proveniret non modicum detrimentum, quae non agriculturis inservit, sed navigiis potius & mercimoniis est intenta. Nos igitur paterno dilectionis affectu, quem ad vos specialiter habemus, inducti, sub distractione anathematis prohibentes ne in ferro, stupa, pice, acuris pironibus, funibus, armis, galeis, navibus, & lignaminibus paratis, vel imparatis, vendendo, donando, vel commutando Sarracenis ministrare subsidium praesumatis, sustinemus ad tempus, donec super hoc aliud dederimus vobis in mandatis, ut in regnum Aegypti vel Babylonis alia initari commercia, cum necesse fuerit, transfretetis; sperantes quod propter hanc gratiam in subsidium Hierosolymitanae provinciae debeatis fortius animari; provisuri ne quid in fraudem circa statutum apostolicum praesumatis: quia dubium esse non debet eum divina ligari sententia, qui contra propriam conscientiam in elusionem hujus mandati fraudulenter aliquid attentabit. Datum ut supra.

EPISCOPO GEVRICENSI  
& Abbati de Boccan.

**I** Nauditum falsitatis genus tam novitate nocendi quam praesumptionis audacia univerla ferè haecenus inventa genera falsitatis excedens, perpetratum praedecessorum nostrorum temporibus, nostris est auribus revelatum. Sanè proposuerunt nobis dilecti filij magister R. Praepositus Colocen. & magister I. Archidiaconus Seghedien. quod magister L. Tarvisinus olim ad apostolicam sedem accedens, de regesto felicis recor. Alexandri Papae praedecessoris nostri quandam chartam dolosè surripuit, quam in ea parte dolosè abscedit, qua tribus aliis chartulis, quia fuerat in quaterno medio, jungebatur, filo integro remanente. Cum autem idem Praepositus eandem nobis chartulam praesentasset, ex eo rem sic se habere cognovimus, quod in proximo praecedenti chartula ejusdem regesti quarundam habebatur principium

literarum, quas eadem pagina terminabat, & rursus circa finem ipsius paginae quaedam literae fuerant inchoatae, quae finiebantur in folio subsequenti. Cum igitur hujusmodi falsitatis vitium tanto amplius persequi debeamus, quanto majus posset scandalum generare, cum pro literis de quibus dubium est an à sede apostolica emanarint, ad regestum de consuetudine recurratur, cum etiam vix posset aliquis amplius Rom. Ecclesiam offendere quam si ei regesta & alios libros surriperet in quibus tam ipsius quam aliarum Ecclesiarum privilegia continentur, discretionem vestrae per apost. scripta mandamus atque praecipimus quatenus magistrum P. Strigonien. Praepositum & magistrum Robertum Anglicum & Azonem Presbyterum, quos hujus iniquitatis \* confocios esse audivimus, ad vestram praesentiam evocantes, ab eis sub iurejurando veritatem diligentius exquiratis, quo mandante, cujus consilio, quo confocio, & quo procurante tantae falsitatis crimen fuerit attentatum. Confessionem autem ipsius sub iurejurando factam, redactam in publicam manum, ac vestris sigillis signatam, ad nos sine dilatione aliqua transmittatis. Volumus autem, & sub eadem districtione mandamus, ut tam eos, quam alios, qui hujus iniquitatis participes fuisse dicuntur, ad veritatis assertionem, monitione praevia, per suspensionis & excommunicationis sententiam appellatione postposita compellatis. Datum Laterani III. Kalendas Februarij.

*Scriptum est super hoc ferè in eundem modum Patriarchae Gradenfi.*

P. DE CASTRONOVO  
Archidiacono Magalonenfi.

**C** Vm olim bonae memoriae Magalonenfis Episcopus, habito dilectorum filiorum P. de Agrifolio Archidiaconi & B. Prioris claustralis assensu, te ad vacantem archidiaconatum ejusdem Ecclesiae nominasset, Praeposito ut nullus tibi, nisi prius duplici voce sibi concessa, institueretur, per appellationem interpositam inhibente, Episcopus, tum quia contra antiquam Magalonen. Ecclesiae consuetudinem & commune jus canonum esse dicebat aliquem sibi vocem duarum personarum in eadem Ecclesia vindicare, tum quia ex indulgen-

Q9 ij

Epist. 540.  
De pagina eorū  
qui crimen falsi  
commiserunt.  
Vide infra epist.  
549.

Epist. 541.  
Ipsi archidiaconatum confirmat.  
Vide supra epist. 267.